



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Recantat simul & perjurium comittit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

in omnibus meis factis & dictis, presentibus, præteritis & futuris. Quod si quid mihi excidit, aut si quid contrarium dixi, volo & rogo id pro non dicto haberi. Vide, quæso, Lector, quomodo Ecclesia sine ulla vi aut metu ex ipso hostium suorum ore honorificam sibi confessionem exprimere soleat, non aliter quam herba illa, cujus Plinius facit mentionem, reum ad suum ipsius detegendum scelus cogit. At Confessio hæc nihil aliud erat quam fallus quidam prætextus, sub innocentia habitu insolentem regens malitiam. Idemque de Lutero dici poterat quod de Antipatro Alexander dixit, cum foris candido livi vestitu, sed intras torum rubrum esse & cruentum. Et quemadmodum cygnus plumas habet candidiores reliquo omni volucrum genere, sed cutem magis nigram quam alie omnes: sic monachus hic in confessione sua mirum candorem & simplicitatem præ se ferebat, ut qui in omnibus tam presentibus quam futuris Ecclesie iudicio & censura se submittebat; interim verò detestimum virus, quod postea evomuit, animo occultabat. Ut vero Lutherus ambiguis verbis utebatur; ita Cardinalis Lutherum nihilominus urgebat, ut missis ambagibus errorem liberè fateretur & revocaret. id si facere recusaret, usurum se ea potestate quam ab Ecclesia accepisset. Ille contra protestabatur nihil à se dictum, quod sacris literis Ecclesie Patribus, aut recte rationi adversaretur, verum quia se tamen hominem agnoscat, qui errare possit & falli, paratum se scripto respondere ad ea quæ proposita sint capita. Quod Cardinalis permisit altero que die Lutherus prolixo allato scripto præstare conatus est, ita illud concludens ut eum dare verba Legato appareret & habere mentem in erroribus obstinatum. Ad quod visum Cardinalis benè respondit Congeriem esse verborum, rogavitque ne sui oblitus fiducia sui elatus plus saperet quam par est, rigidam cervicem in gremium Ecclesie reclinaret & c. se, nisi aliam viam teneat, posse à suo conspectu abstinere.

V. Sic Lutherus indignatione & vindictæ studio protractus, confusionis metu nolens recedi, velut ille apud Homerum, *Destruit aedificat mutat quadrata rotundis*, ac sententiam mutavit; & prioris suæ Confessionis ac protestationis, quod sub Romanæ Ecclesie legibus vivere & mori vellet, oblitus, Cardinali Ec-

clesiasticam censuram interminante, vetitus fortasse ne posthabitis salvi-conductus literis, captivus detineretur, atque eodem modo quo Joannes Hussius olim & Savonarola, tractaretur, clanculum abiit: id quod etiam Staupitius biduo ante fecerat, Et quidem manus ei injici Pontifex jussit, ut qui sciret ea, quæ privatim ac secreto ageret cum ijs, quæ publicè promitteret è diametro pugnare. Descendens Lutherus epistolam ad Legatum scripserat, qua promittebat de Indulgentijs nihil porro se disputaturum: interim verò scripto publicis in locis Augustanæ urbis affixo, ab eo provocavit ad Pontificem melius informandum, ultimaque Octobris die eques Wittebergam reversus est. Ex quibus omnibus animus ejus & intima sentia facile perspicui poterant. Juramenti enim, quod supra fecisse eum diximus, verbis adhuc intra labia ejus natantibus, jam ille perjurium animo conceperat, certus nihil eorum quæ pollicitus erat præstiturum. Vix enim inde digressus, ad amicos ita scripsit, *Ne crederent, quæ fecisset aut dixisset Legato, ita fecisse aut dixisse quasi de doctrina sua dubitaret, aut quod sententiam mutasset, aut unquam mutaturus esset: sed eo tantum omnia spectasse, quod ei qui Papa Legatus esset, reverentiam & honorem deferendum existimasset.* Ecce tibi hominis duplicem ac rectum animum! ecce fidem & candorem Christianum! Sic igitur Lutherus Ducis Saxonie & Academiae Wittebergensis favore subnixus, in arenam rursus prodit, discipulorum & amicorum qui certatim causam ejus susceperant, & tamquam muli, mutuo se scabebant, laudibus non medioeriter inflatus. Indigne tulit ejusmodi discessum Cardinalis, & 25. Octobris per literas Friderico Electori Saxonie rem cum Lutero gestam exposuit, hortans ut Lutherum vel Romam ire compellat, citatura nuper ad causam dicendam, vel è ditioribus suis eiciat, nec se illius labe aspergat. Has literas Elector 9. Novembris VVittebergam misit, ad Lutherum, qui statim respondit, prolixis literis, in quibus suo more Acta Augustæ exponit, spondetque ne periculum Electori acceratur, se alio migraturum, actisque gratiis eidem Vale dicit. Sciensque processum contra se Romæ captum persecutum iri 28. Novembris Novam appellationem interposuit à Pontifice ad Concilium, utpote ab homine erroribus obnoxio, protestatus, interim se nihil de Pontificis autoritate velle esse detractum. His gestis alij latebras Lutero suade-

bant,

bant, alii migrationem in Franciam, ubi opinio esset quorundam ipsi favens de Concilio supra Papam &c. sed Electori id displicuit, qui eum securum esse iussit, donec aliud quid statueretur à se.

Indè Romam iterum ut coram ipso Ecclesiæ capite causam diceret, citatus, ad futurum Concilium provocavit; protestatus nihilominus, nihil se Pontificis auctoritati detractum velle, modò is (sic enim loquebatur) sanæ esset opinionis. Interca verò ad Papam Leonem scripsit, culpam omnem in Cardinalem Caietanum reiiciens. Nòsti, inquit, quomodo Legatus tuus infidus, infelix & imprudens se erga me gesserit, cuius potestati obrevereniam quam erga te habeo, me submiseram. Et quidem pacem illam averfatus est; quam uno verbo stabilire potuisset: quandoquidem silentium ego promiseram, modo adversariis meis os quoque occluderetur. Ille verò causa eorum suscepta multo acrius eos contra me incitavit, adeoque ad retractationem seu palinodiam cogere me voluit. Importuna ipsius tyrannis in causa est quòd id, quod iam in eo erat ut feliciter terminaretur, iam deterius multo evasit, sine ulla spe compositionis. Culpa igitur non mihi, sed Caietano imputetur, qui ut silerem ferre non potuit. Hoc ille sensu quum ad Leonem PP. scripsisset; paullo post alias ad eundem litteras, iisdem ferè, quibus S. Bernardus ad PP. Eugenium, verbis conceptas, in quibus Romana quasi animam agentis Ecclesiæ ultima suspiria & lacrimas persolvit, tum etiam Leonis X. conditionem & fortunam deplorat, quòd, tanta bonitatis Principi inter pessimos, & in tanta omnium vitiorum sentina vivendum sit, simulque librum De libertate Christiana nuper à se conscriptum misit. Tum, licet sero iudicatum est vel animadvertum, duplicem errorem à Legato commissum, & quod quæstorum Indulgentiariorum abusus non coëcuerit, & Lutherum evadere permiserit. Certe, inquit Consalvus de Jilescas, Cardinalis nimis lento ac frigide cum Luthero egit: quem si capsi, quòd facile poterat, & ignis supplicio tradi curasset, tot mala qua videmus, non evenissent. Sed sic in factis fuit. Accessit deinde aliud, quòd rem multo magis exulceravit, allato novo Romæ diplomate, quo Indulgentiarum præconibus suum in colligenda sacra pecunia munus confirmabatur, quantumvis ex ea re ante biennium tantis turbis occasio nata fuisset. Hoc excitatus Huldéricus Zuinglius, non minus Helveticas,

quam Lutherus ante Saxonicas, Ecclesias turbavit, ut III. libro c. 3. dicitur. Lutherus interea Romam citabatur, & Persarum more flagellis absens cædebatur, præfixo LX. dierum salvo conductu, ut intra id spatium conscientia sua confu-deret, & errores revocaret. At ille risui & ludibrio omnia habens, nihilominus humillimum & obedientem Romanæ Ecclesiæ filium in omnibus se ferebat: deprecans inter alia, ne quisquam ipsius exemplo, parum reverenter eam tractare præsumat; quum aliorum stultitia & avaritia ei imputari nequaquam debeant aut possint. His & aliis fucatis verbis Lutherus universum Mundum decepit: quem Erasmus, à Lutheri causa initio non abhorrens, in epistola quadam monuit, non contra Pontifices, sed contra eos qui Pontificum auctoritate abutuntur, clamandum ac fulminandum; ubique vero modestiam magis quam insolentiam & impetuositatem adhibendam esse. Quemadmodum vero Lutherus obedientem Romanæ Ecclesiæ filium se simulabat, ita Fridericus Saxonix Dux sensus suos dissimulabat, missis Romam litteris, quibus si Lutherus ab Ecclesia Romana unione discederet nihil sibi cum illo rei fore promittebat. Irritatum, eum quasi invitum in hanc arenam protractum: modestia nihilominus limites non transgressurum. Neuter promissis stetit: Lutherus doctrina opinione & gloriæ studio inflatus; Dux verò sinistro rerum suarum, quas Romæ ministri eius agebant, successu offensus. Nec mora Prodeunt Theologi Lovanienses & Colonienfes; & tam voce quam scripto Lutherum strenue oppugnant. Nascuntur quotidie novæ disputationes, novæ controversiæ de Communionem sub utraque specie, de Libero arbitrio, de Celibatu; ex qua quæstione, complures Ecclesiastici perpruriscere coeperunt. Plerisque respondit Lutherus: sed in omnibus eius scriptis ne unum quidem verbum reperias quòd modestiam & charitatem Christianam spiret. Libri eius non libri sunt, sed plaustra infamibus convitiis & injuriis onusta, quas ille inde plena manu spargit, ut in iis passim videre est, ac præsertim in libro De Captivitate Babylonica, quem Latine à se scriptum, in varias linguas transferri curavit; ut Judæis, Turcis ac Paganis omnem Christianam religionem, tantis quantas ille describit, abominationibus plenam amplectendi animum & voluntatem adimere voluisse videatur: quemadmodum Tartarorum rex iam olim Eccle-

se Christianæ nuncium remisit, offensus mala eorum vita quorum doctrina tam splendidis laudibus ornabatur. Lutheri interim absentis nomen Romæ forensibus præconijs citabatur. In Italia oppugnabatur, qui in Germania interim suauiter & quiete fere vivebat: præpostero sane consilio, quum Saxonie Dux interposita Imperatoris auctoritate, sollicitati debuisset, ut hominis defensione abiecta, Sanctæ Sedis mandata exsequeretur.

VI. Inscitia profecto erat, existimare processibus eiusmodi malum hoc listi posse. Aut prudenti quadam lenitate hominis huius, tum quum silentium promitteret, ferocitas demulcenda, tum imo vero crebro hic in suo ipsius nido iritandus erat; aut extrema ferro & igne adhibenda erant remedia. Dura, inquis, & aspera medicina. *Sed aspera dici non potest cuius effectus est salutaris; & ipsa sanatione excusari debet, etiam qui cum dolore & cruciatu sanat; futura utilitate præsens incommodum compensante, ut Tertullianus ait. Vbi legibus non potest, vi agendum est, & quidem mature. Non ignoro dici vulgo solere, à legibus id exigendum esse quod possunt, quando non possunt, quod volunt. Atqui Maximiliano Imperatori tum satis superque erat virium: Germania quid rebellio esset ignorabat: Caietanus plus satis habebat auctoritatis. Quid ergo fuit quod tanto malo grassandi licentiam dedit? Illud nimirum, quod obscurum hominem Imperator contempsit, Cardinalis vero dulcibus ipsius verbis, & suis ipsius, quas Lutherus frequenter in ore habebat, laudibus consopitus fuit. Nullum enim Caietani humanitatem ac benignitatem de prædicandi finem Lutherus initio faciebat. Illud sane imprudenter vel negligentem potius à Caietano factum videtur, quod hominem nullo saluo conductu ab Imperatore munitum, tum Augustæ tum alibi tamdiu oberrare permisit, cui sine vlla perfidæ exprobratione, quod in mandatis habebat, manus injicere potuisset. Sed & optimo iure securitatis litteras Imperator Luthero denegare poterat, ut qui imprudenter in plagas ipse se Augustam & aliò ventitando coniecisset. Sed vterque lenitate utendum sibi existimavit: quod remedium invalescentibus malis admodum est periculosum. Testatur enim experientia, morbos pecudum magis magisque ingrauescere & dispalari.*

Dum medicus adhibere manus ad vulnera pastor Abnegat, & meliora deos sedes omnia poscens.

Et quemadmodum vtrica leni & suspensa manu contacta vrit, at rudi manu compressa obtunditur ac vim suam perdit: sic nascens quæcumque hæresis facile opprimi potest, si auctori os claudatur, & irrita eius itultricia & temeritate, vox plane adimatur. Hoc modo multorum fatuitas sanata fuit. Contra obstinatos vero non verbis sed factis, non lenibus sed asperis remedijs utendum, primisque principijs obstandum est. Dilatio enim seu mora novas malo vires addit: tantoque illud sit incurabilius quanto magis inueteralecit. Hinc Synesius ad Imperatorem Arcadium sic scribit: Malum nascens facile aueritur & sanatur: at ubi inueterauerit, omnem medicinam respuit. Nimirum

— sero medicina paratur,

Quum mala per longas inualuere moras.

Et sapienter monet Aristoteles, ad præcauendas imperiorum ruinas, turbarum quamuis tenuissimis fuitijs esse occurrendum. Nam quemadmodum in fluminibus videmus, si quid incidit aut aquarum impetu eò delatum sit quod cursum remoretur, paullatim molem accrescere, ac sæpe integras insulas existere: sic in mundi huius, ac præcipue religionis negocijs ex paruis iocijs magnæ rerum mutationes sequuntur. An non exigua Arianismi Alexandria accensa scintilla totum fere terrarum Orbem fædo incendio involuit, eo quod primo sui ortu non fuerat estincta? Sic Lutherana quoque hæresis ex obscuro Germaniæ angulo progressa, magnam Christianæ Reipublicæ partem sua contagione infecit, eam ob causam quod initia eius essent neglecta. Sed hæc diuinæ voluntatis erant permissiones: hanc pœnam, adeoque multo maiorem peccata nostra merebantur. Et quamuis veræ causæ nos lateant, sic tamen iudicare oportet eas plane esse iustissimas, ut quæ à iusto omnium casarum motore, qui in numero & mensura omnia disposuit, procedunt.

Quo loco cum Doctoribus nonnullis observo admirabilem divinæ sapientiæ curam, ex qua mecum inspecta quilibet Christianus perspicue animadvertet, non temerè, sed summa sapientia permissiones hæresum ordinari, ab ipso qui permittit, nam profus simili ferè decursu Hæreses permittæ sunt nasci in Ecclesia & invalescere ad tempus quo ordine sana doctrina ab Apostolis in Symbolo Fidei est comprehensa & proposita. Siquidem vix exortus erat Christianismus, cum Magi, se pro Deo venditâres populo, exorti, primum articulum damone adiuuante oppugnare cæperunt,